Gilewski Martini: Quaestio de virtutibus theologicis.



QVÆSTIO DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS,

Ex. Iā. 2dæ. D. Thomæ, desumpta.

Quam



D. O. M. A.

Præside

Admodum Reuerendo Patre, Dño Adamo Falencki, S. Th. Doct. ac Profes: SS. Sedis Apostolicæ Protonotario, Ecclārum Collegiat: Omium SS. Pręposito, S. Floriani Decano, &c. nec non Generalis studij Crac: Rectore.

Ad disputandum proponet.

M. MARTINVS GILEWSKI. in Academia Crac: S.Th: Bac: Ecclesiæ Collegiat: S. Annæ Decanus.

In Lectorio DD. Theologorum Die Febr: hora xv.

CRACOVIÆ,

In Officina Simonis Kęmpinij, Anno Dñi 1609.

IN STEMMA.



TRes turres, tria ſunt illuſtris lumina vitæ,
Quæ Te Samoſci laudis honore beant.
Ingenium, Pietas in Te, Conſtantia: quarum
Hæc populo magnum, Te tulit iſta Deo:
Nil horrere potes populos immanè furentes,
Turribus his virtus ſtat Tua nixa tribus.

Illmo ac Reuerendiſ: Domino, D.

IOANNI ZAMOYSKI, DEIGRATIA SANCTÆ ECclesiæ Metropolitanæ Leopolieñ

Archiepiſcopo, Abbati Płocenſi, &c. Domino Patrono, ac Mecęnati benefico. &ć.

M. MARTINVS GILEWSKI in Academia Crac: S. Th: Bac: perpetuam felicitatem.

QVæ ſint tua in me beneficia, Illuſtriſsime ac Reuerendiſsime Archipræſul, & quam prope in dies ab incredibili munificentia proficiſcantur, non eſt præſentis dictionis meæ commemorare, ne rei magnitudinem, tam anguſtis terminis in cludere videar: eam tamen, quam memoria complector ac retineo grati animi ſignificationem, non poſsum iam non declarare. Tua enim præclara, & in omnes tuos propenſa voluntas, non ea tantum, quæ ſunt ſumma, & quæ tua laude, (quæ citra cuiusquam prædicationem, illuſtri in loco ſplendeſcit,) ſint digna, expectat, ſed etiam mediocria, & ab exili ingenio profecta, obuiis vlnis excipit & amplexatur. Et cum à me proximis diebus, profeſsionis ſuſceptæ munus flagitaret, vt in aciem Theologicam deſcenderem, & in ea de quæſtionis propoſitæ veritate, ac certitudine certamen ſuſciperem, perſuadebam mihi, ita me demum præclarè ac fæliciter hanc aduerſariam poſſe ſuſtinere, ſi eam ſub tuo patricinio &

nio, & clientela sustinerem. Bonis auspiciis quæcunque geruntur, vulgò creduntur bene euenire. Meliora auguria an ego deligere potui, Tuo illustri nomine, quod veri Archipræsulis virtutibus, tanquam gemmis distinctum, lucet. Scipionum nomen, fatale fuit & perniciosum Africæ, vnde populus Romanus, non ab alio duce, quam à Scipione bellum Africanum posse fælicius comitti credebat. Quod verò nomen his non natione, sed fide Pænis hæreticis inquam magis fatale ac perniciem minitans haberi potest, quàm Archiepiscopi, quod etiam nullis armis strictis, illos profligare & in fugam dare consueuit Et cum sint tres turres, antiquissimum tuæ nobilitatis insigne, in his ego tanquam in munitissimis propugnaculis trium virtutum Theologicarũ, Fidei, Spei, Chariiatis, certissimum præsidium collocabo, nec iam hostium insultus nec reboantes conuitiis & calumniis hæreticorum machinas verebor. Tu modo Illust: Archipræsul tuas turres tã precioso deposito ornatas, & immanissimis hostibus obiectas, suscipe tanto animosiùs defendendas, nec periculum metuas, ipse enim adiutor aderit Deus, ipsæque cohortes cælestes aderunt auxiliariæ. Me verò, si non in Triarium, nec in prætoriæ cohortis militem, at vel in tyronẽ, tu qui es imperator castrorum Dei, suscipe, & iam pro dogmate Christiano pugnam nõ recusantem, ea qua soles beneuolentia & patrocinio, protege, & complectere. Illustrissimam ac Reuerendissimam Celsitudinem tuam quam diutissimè, & quam fælicissime, Ecclesiæ Dei, ac Reipub: viuere cupio, Crac: ex Maiori Collegio. Calendis Februarij Anno. M. DC. IX.

QVÆSTIO
THEOLOGICA.

V. Virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas, nonſolum interſe, ſed & ab aliis virtutibus Intellectualibus, ac Moralibus, realiter diſtinctæ, in renatis aqua & Spiritu *S.* ad iuſtificationem, & vitam æternam conſequendam, neceſsario requiratur.

Concluſio Prima.

VIrtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas, ſunt inter ſe realiter diſtinctæ.

Corollaria.

1. Conuenienter Fides, Spes, Charitas, ponuntur virtutes Theologicæ.
2. Fides eſt prior Spe, & Spes Charitate.
3. Fides acquiſita de articulis fidei, non eſt virtus Theologica.
4. Nobilior eſt Fides, quam gratia Prophetiæ, aut gratia miracula faciendi.
5. Spes habet diſtinctam rationem formalem obiecti, à fide & charitate.

Concluſio Secunda.

Fides, Spes, Charitas, diſtinguuntur realiter, ab aliis virtutibus Intellectualibus, ac Moralibus.

Corollaria.

1. Virtutes Theologicæ, ſunt præſtantiores Virtutibus Intellectualibus ac Moralibus.

2. Virtutes Theologicæ, diuinitus infundũtur, aliæ ex aſuetudine operum cauſantur.

3. Licet aliquando virtutes, Intellectuales, ac Morales, diuinitus etiam proueniant, non ſunt tamen virtutes Theologicæ.

4. Virtutes infuſæ, non ſunt eiuſdem ſpeciei, cum acquſitis.

5. Deus eſt obiectum, virtutum Theologicarum, Intellectualium autem verum, Moralium porro bonum.

Concluſio Tertia.

Fides, Spes, Charitas, ad iuſtificationem, & vitam æternam conſequendam, ſunt neceſſariæ.

Corollaria.

Fides eſt radix, & fundamentum, totius iuſtificationis.

Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis.

Charitas eſt forma omnium virtutum.

Ad credendum, ſperandum, amandum, vt oportet, omnino neceſſarium eſt auxilium *D*ei ſupernaturale.

Licet *D*eus de potentia ſua abſoluta, bene poteſt mouere hominem, ad credendum, ſperandum, amandum, ſine habitibus infuſis, de lege tamen ordinaria, & ſecundum communem curſum, neceſſariæ ſunt virtutes Theologicæ, ad credendum, ſperandum, & amandum.


BIBLIOTH: UNIV:
JAGELLONICAE